

Poli igitur sphaerarum coincidunt cum centro, ut non sit aliud centrum quam polus, quia Deus benedictus. Et quoniam nos motum non nisi comparatione ad fixum, scilicet polos aut centra, deprehendere possumus et illa in mensuris motuum praesupponimus: hinc in coniecturis ambulantes in omnibus nos errare comperimus et admiramur, quando secundum regulas antiquorum stellas in situ non reperimus concordare, quia eos recte de centrīs et polis et mensuris credimus concepisse.

Ex hiis quidem manifestum est terram moveri. Et quoniam ex motu cometae, aëris et ignis elementa experti sumus moveri et lunam minus de oriente in occasum quam Mercurium aut Venerem vel solem, et ita gradatim: hinc terra ipsa adhuc minus omnibus movetur, sed tamen non est ut stella circa centrum aut polum minimum describens circulum; neque octava sphaera describit maximum, ut statim probatum est.

fol. 21<sup>o</sup>

Acute igitur considera, quoniam, sicut se habent stellae circa polos coniecturales in octava sphaera, ita terra, luna et planetae sunt ut stellae circa polum distanter et differenter motae, coniecturando polum esse, ubi creditur centrum. Unde, licet terra quasi stella sit propinquo polo centrali, tamen movetur et non describit minimum circulum in motu, ut est ostensum. Immo neque sol neque luna neque terra neque aliqua sphaera, licet nobis aliud videatur, describere potest verum circulum in motu, cum non moveantur super fixo. Neque verus circulus dabilis est, quin verior dari possit, neque umquam uno tempore sicut alio aequaliter praecise aut movetur aut circulum verisimilem aequalem describit, etiamsi nobis hoc non appareat.

Necesse est igitur, si de motu universi aliquid quoad iam dicta vere intelligere velis, centrum cum polis complices, te quantum potes cum imaginatione iuvando. Nam si quis esset supra terram et sub polo arctico et alius in polo arctico, — sicut existenti in terra apparetur

1) aliud: aliquid *N* 3) centra: centrum *NI*: cenith *ex* centra *mutav. O* 3/4) conf-  
prehendere *O* 7) et mensuris *om. I* 14) sphaera: aut alia *add. p* 24) quin:  
quinetiam *σW* 27) aliquid *in marg. iterav. C<sup>8</sup>*: aliud aliquid *σW* 28) vere: velis *p*  
28) velis: vel *COaW*: ut *p* 30) arctico *Σa*, ut *semper*

218q) cf. CUSANI *adumbrationem cosmologicam* (*Cusanus-Studien I* 43, I sq. *Klüh.*)

9—12) apud RICCIOLUM *Almagestum novum IX* sect. 4,2 (II 292). 9) *Hunc loc. respicit*  
JORDANUS BRUNUS *La cena de la cenari, dial. III* (*Opere ital. I* 69 *Geni.*?) 19—21) apud RICCIOLUM  
*Almagestum novum IX* sect. 4,2 (II 292).

polum esse in zenith, ita existenti in polo apparetur centrum esse in zenith. Et sicut antipodes habent sicut nos caelum sursum, ita existentibus in polis ambobus terra apparetur esse in zenith; et ubicumque quis fuerit, se in centro esse credit. Complicata igitur istas diversas imaginationes, ut sit centrum zenith et e converso, et tunc per intellectum, cui tantum docta servit ignorantia, vides mundum et eius motum atque figuram attingi non posse, quoniam apparebit quasi rota in rota et sphaera in sphaera, nullibi habens centrum vel circumferentiam, ut praefertur.

## Capitulum XII.

### De conditionibus terrae.

Ad ista iam dicta veteres non attigerunt, quia in docta ignorantia defecerunt. Iam nobis manifestum est terram istam in veritate moveri, licet nobis hoc non appareat. Non enim apprehendimus motum nisi per quandam comparationem ad fixum. Si enim quis ignoraret aquam fluere et ripas non videret existendo in navi in medio aquae, navem quomodo apprehenderet moveri? Et propter hoc, cum semper cui libet videatur, quod sive ipse fuerit in terra sive sole aut alia stella, quod ipse sit in centro quasi immobili et quod alia omnia moveantur, ille certe semper alios et alios polos sibi constitueret existens in sole et alios in terra et alios in luna et Marte, et ita de reliquis. Unde erit

1) cenith *Σa*, ut *semper* 2) antipodes *Tr* 3) esse in cenith *Σ* (in cenith esse *C*, *sed add. signa transpositionis*): in zenith esse *σ* 7) atque: ac *σW* 14) Non enim: cum non *Cσ*: enim non *NO*: enim vero *Pr* 16) existendo: extendo *m*: existens *p* 16/17) quomodo appropinquaret navem *p* 18) sive sole: sine sole *p*: sive in sole *Pr* 20) et alios *om. b* 20) existens: ut existens *p* 20) sole: alios *add. p* 21) Marte: in aere *NO*: aere *Pr*: mari *MI* (in aere *suprascrips. I<sup>2</sup>*): mare *S*

9) cf. *supra p.* 100 sq. 15—17) *Ad argumentum navis in mari currentis* cf. GUILLELMUS DE CONCHIS *Philosophia I* 7 (*PL* 172 col. 39 d - 60 a); IOANNES CAMPANUS *De sphaera cap. 17* (*fol.* 196<sup>o</sup> ed. *Venet.* 1331).

4) cf. LEONARDUS DE VINCI *Cod. Triv. fol. 28* (nr. 863, II 139 *Richter*); an *Cusanum secutus?* *Hoc cap. respicit* IOANNES ECKIUS *Chrysopassus cent. I* (*fol. B II<sup>o</sup> ed. Augustae Vindob.* 1314). 12—p. 104,3) apud RICCIOLUM *Almagestum novum IX* sect. 4,2 (II 292). 148q.) *Similis argumentum offert* NICOLAUS COPERNICUS *De revolutionibus orbium caelestium I* 8 (*p.* 22,9 sq. ed. *Tibonium* 1873); unde RICCIOLUM *Almagestum novum* (*loc. laud.*): «Ex eo (*scil.* *Cusanus*) tamen videtur sumptissime similitudinem in navi existentium et inde argumentum pro motu terrae diurno Copernicus... non recte, ut videtur.

machina mundi quasi habens undique centrum et nullibi circumferentiam, quoniam eius circumferentia et centrum est Deus, qui est undique et nullibi.

Terra etiam ista non est sphaerica, ut quidam dixerunt, licet tendat ad sphaericitatem. Nam figura mundi contracta est in eius partibus, sicut et motus; quando autem linea infinita consideratur ut contracta taliter, quod ut contracta perfectior esse nequit atque capacior, tunc est circularis; nam ibi principium coincidit cum fine. Motus igitur perfectior est circularis, et figura corporalis perfectior ex hoc sphaerica. Quare omnis motus partis est propter perfectionem ad totum, ut gravia versus terram et levia sursum, terra ad terram, aqua ad aquam, aër ad aërem, ignis ad ignem; et motus totius, quantum potest, circularem concomitatur et omnis figura sphaericam figuram, ut in animalium partibus et arboribus et caelo experimur. Unde unus motus est circularior et perfectior alio, ita et figurae sunt differentes.

Terrae igitur figura est nobilis et sphaerica et eius motus circularis, sed perfectior esse posset. Et quia maximum aut minimum in perfectionibus, motibus et figuris in mundo non est, ut ex statim dictis patet, tunc non est verum, quod terra ista sit vilissima et infima; nam quamvis videatur centralior quoad mundum, est tamen etiam eadem ratione polo propinquior, ut est dictum. Neque est ipsa terra pars proportionalis seu aliquota mundi. Nam cum mundus non habeat nec maximum nec minimum, neque habet medium neque partes ali-

1) undique: ubique p, ut fere semper	2) eius om. σ	2) Deus est σ	5) sphericitatem Σa
7) quod om. NPr	9) circulari b	11) gravia versus: grave ad versus Pr	11) et levia: leve ad Pr
11) et levia: leve ad Pr	14) exprimitur Pr	16) Terra Tr	16) nobilis: mobilis b
17) aut minimum om. b	18) statim: iam p	18) dicitis: antedictis Tr	19) tunc: tamen Pr
19) tunc: tamen Pr	19) infima: infinita a	22) proportionabilis σ	

1—5) cf. [HERMES TRISMEGISTUS] *Liber XXIV philosophorum, propos. 2* (p. 208 Baumerker): «Deus est sphaera infinita, cuius centrum est ubique, circumferentia nullibi.» vide supra II 11 p. 100, 12 et 101, 9. 4) quidam: e. g. ARISTOTELES *De caelo B 14*, p. 297 a 8, et sapient. 11) cf. ARISTOTELES e. g. *De caelo A 3*, p. 269 b 23; *Phys. Δ 1*, p. 208 b 19 sq.; THOMAS *Comment. in De caelo A 3, lect. 5* (III 20 ed. Leon.) 19) vide e. g. THOMAS *Comment. in De caelo B 13, lect. 20* (III 202): «ideo in toto universo sicut terra, quae ab omnibus continetur, in medio localiter existens, est maxime materialis et ignobilissima corporum, ita etiam suprema sphaera est maxime formalis et nobilissima.» 21) cf. supra II 11 p. 102 sq.

1—5) Hanc locum usurpat IORDANUS BRUNUS e. g. *De immenso et innum. I 3*; IV 6 (*Opera Lat. I 1 p. 218*; I 2 p. 32 Florent.); *De la causa, dial. V* (*Opere ital. I 249 sq. Gent. 2*) 4) Hanc loc. resp. IOANNES FRANCISCUS PICUS DE MIRANDULA *Examen van. doct. gent. I* (*Opera, ed. Basil. 1573, p. 773*). 10) cf. LEONARDUS DE VINCI *Cod. Atlant. fol. 39<sup>r</sup>* (I 103 ed. Mediolan. 1894 sq.) 16 sq.) Ad hunc loc. FABER STAPULENSIS in marg. editionis p: «Paradoxa.»

quotas, sicut nec homo aut animal; nam manus non est pars aliquota hominis, licet pondus eius ad corpus videatur proportionem habere; fol. 22<sup>r</sup> et ita de magnitudine et figura. Neque color nigredinis est argumentum vilitatis eius; nam in sole si quis esset, non appareret illa claritas quae nobis. Considerato enim corpore solis, tunc habet quandam quasi terram centraliorem et quandam luciditatem quasi ignilem circumferentialem et in medio quasi aqueam nubem et aërem clariorum, quemadmodum terra ista sua elementa. Unde, si quis foret extra regionem ignis, terra ista in circumferentia regionis per medium ignis lucida stella appareret, sicut nobis, qui sumus circa circumferentiam regionis solis, sol lucidissimus apparet. Et non apparet luna adeo lucida, quoniam forte citra eius circumferentiam sumus versus partes magis centrales, puta in regione quasi aquae ipsius; et hinc non apparet eius lumen, licet habeat lumen proprium illis in extremis partibus circumferentiae eius existentibus apparens, et solum lumen reflexionis solis nobis apparet. Etiam propterea calor lunae, quem sine dubio ex motu efficit plus in circumferentia, ubi est maior motus, nobis non communicatur sicut in sole. Unde ista terra inter regionem solis et lunae videtur situata et per horum medium participat aliarum stellarum influentiam, quas nos non videmus propter hoc, cum extra earum regiones simus; videmus enim tantum regiones earum, quae scintillant.

Est igitur terra stella nobilis, quae lumen et calorem et influentiam habet aliam et diversam ab omnibus stellis, sicut etiam quaelibet a qualibet lumine, natura et influentia differt. Et sicut quaelibet stella alteri communicat lumen et influentiam non ex intentione, quoniam

5) nobis: relucet add. O: apparet add. Pr	7) aqueam: aliquam Pr	9) suae regionis p
11) scil. lucidissima S: nitidissimus Pr	12) citra: circa Tr σ	16) color Tr
16) color Tr	16) quae a: quae m	18) intra p
24) omnibus: aliis add. p	20/21) cum—simus Σ: cum—sumus a: quod—sumus p	25) sicut: sic σ

3—22) Hanc loc. in vernaculum sermonem versum affert IORDANUS BRUNUS *De l'infinito, universo e mondi, dial. III* (*Opere ital. I 343 sq. Gent. 2*), respicit ibid. (I 343). 4—10) Ad hunc loc. FABER STAPULENSIS in marg. editionis p: «Hypsi.» 5—8) Hanc loc. laudat IORDANUS BRUNUS *La cena de lo cenari, dial. III* (I 77 *Gent. 2*); cf. *De l'infinito, universo e mondi, dial. III* (I 346); *De immenso et innumerabilibus IV 7* (*Opera Lat. I 2 p. 40 Florent.*) 8 sq.) v. LEONARDUS DE VINCI *ms. F fol. 41<sup>r</sup>* (nr. 838, II 137 *Richter*); BRUNUS *De immenso et innum. III 4*; IV 2; IV 8 (I 1 p. 345; I 2 p. 15 sq.; p. 45 sq. Florent.); *De l'infinito, universo e mondi, dial. III* (I 350). 23) apud WERNICK *concl. IX p. 37, 11—13*; — cf. etiam LEONARDUS DE VINCI *ms. F fol. 56<sup>r</sup>* (nr. 866, II 139 *Richter*; v. ibid. nr. 865); an Cusanum secutus?

omnes stellae moventur tantum atque choruscant, ut sint meliori modo, unde ex consequenti participatio oritur, — sicut lux ex sua natura lucet, non ut ego videam, sed ex consequenti participatio fit, dum utor lumine ad finem videndi —: ita quidem Deus benedictus omnia creavit, ut dum quodlibet studet esse suum conservare quasi quoddam munus divinum, hoc agat in communione cum aliis; ut sicut pes non sibi tantum, sed oculo et manibus ac corpori et homini toti servit per hoc, quod est tantum ad ambulandum; et ita de oculo et reliquis membris; pariformiter de mundi partibus. Plato enim mundum animal dixit; cuius animam absque immersione Deum si concipis, et multa horum, quae diximus, tibi clara erant.

Neque dici debet, quod quia terra est minor sole et ab eo recipit influentiam, quod propterea sit vilior; quoniam regio tota terrae, quae usque ad ignis circumferentiam se extendit, magna est. Et quamvis terra minor sit quam sol, ut ex umbra et eclipsibus hoc notum nobis est, tamen non est nobis notum, quantum regio solis sit maior aut minor regione terrae. Aequalis autem ei praecise esse nequit; nulla enim stella alteri aequalis esse potest. Neque terra est minima stella, quia est maior luna, ut experientia eclipsium nos docuit, et Mercurio etiam, ut quidam dicunt, et forte aliis stellis. Unde ex magnitudine argumentum vilitatem non concludit.

Influentia etiam, quam recipit, non est argumentum concludens imperfectionem. Nam ipsa, ut est stella, soli et suae regioni forte pariformiter influit, ut praefertur; et cum non experiamur nos aliter quam in centro esse, in quo confluunt influentiae, de ista refluente nihil experimur. Nam etsi terra quasi possibilitas se habeat et sol ut anima sive actualitas formalis eius respectu et luna ut medius nexus, ita ut istae stellae intra unam regionem positae suas ad invicem influentias uniant, aliis — scilicet Mercurio et Venere et ceteris — supra existen-

1) coruscant *CTb* 4) videndum *S* 7) ac manibus *Cσ* 11) et om. *p* 13) sit: fit *S* 15) terra: tantum *add. MS* 15) eclipsibus *p*, ut *semper* 16) quanto *p* 19) docet *I* 22) recepit *p* 23) refluente: influentia *I Pr b* 27) actualitas  $\Sigma$ : intellectualitas  $\sigma$  29) uniant: et *add. p* 29) Venere: Veneti *Ip*; venere an veneti *velint MSE, anceps*

9) cf. PLATO *Tim.* 30 b. 20) cf. e. g. ALFRAGANUS *Elementa astronomica* cap. 22 (p. 84 sq. *Golius, Amstelod.* 1669); unde [ROBERTUS GROSSETESTE] *Summa philosophiae XV 7* (p. 553, 31 *Baur*).

19) apud WERNICK *concl. IX p. 37, 11.*

tibus, ut dixerunt antiqui et aliqui etiam moderni: tunc patet correlationem influentiae talem esse, quod una sine alia esse nequit; erit igitur una et trina in quolibet pariformiter secundum gradus suos. Quare patet per hominem non esse scibile, an regio terrae sit in gradu perfectiori et ignobiliori respectu regionum stellarum aliarum, solis, lunae et reliquarum, quoad ista.

Neque etiam quoad locum; puta quod hic locus mundi sit habitatio hominum et animalium atque vegetabilium, quae in gradu sunt ignobiliora in regione solis et aliarum stellarum habitantium. Nam etsi Deus sit centrum et circumferentia omnium regionum stellarum et ab ipso diversae nobilitatis naturae procedant in qualibet regione habitantes, ne tot loca caelorum et stellarum sint vacua et solum ista terra fortassis de minoribus inhabitata, tamen intellectuali natura, quae hic in hac terra habitat et in sua regione, non videtur nobilior atque perfectior dari posse secundum hanc naturam, etiamsi alterius generis inhabitatores sint in aliis stellis. Non enim appetit homo aliam naturam, sed solum in sua perfectus esse.

Improportionabiles igitur sunt illi aliarum stellarum habitatores, qualescumque illi fuerint, ad istius mundi incolas, etiamsi tota regio illa ad totam regionem istam ad finem universi quandam occultam nobis proportionem gerat, ut sic inhabitatores istius terrae seu regionis ad illos inhabitatores per medium universalis regionis hincinde

1) moderni: recentiores *p* 5) perfectiori: perfectorum *S*; imperfectiori *I* 5) et ignob.: an ignob. *Tr* 9) ignobiliora in regione ... stellarum habitantium: ignobiliora habitantibus in regione ... stellarum *p* 12) stellarum: terrarum *O* 12/13) solum ... inhabitata: non solum ... habitata *p* 13) intellectualis *Pr* 18) illi: ille *N S M Pr* 19) fuerint: sint *p* 22) hincinde *codd. a p*: hinc inde *U b*

1) e. g. PLATO *Tim.* 38 d; (*Epinomis* 987 b c); APULIUS *De Platone I II* (p. 94 *Thomas*); MACROBIUS *I 19, 2 sq.* (p. 558 sq. *Eys.* 2); GUILIELMUS DE CONCHIS *Philosophia II 23* (*PL* 172 64 c - 65 a) et *Dragmaticon lib. IV* (p. 112 *Gratarolus, Argent.* 1567); GEBER HISPALENSIS *De astronomia VII* (p. 103 ed. *Norimb.* 1534); ABRAHAM BEN ESRA *Liber luminarium cap. 1* (fol. 71<sup>r</sup> ed. *Venet.* 1567) et omnes qui sequuntur systema Heraclidis Pontici, contra auctoritatem PTOLEMAEI *Synt. IX I* (II 207 *Heiberg*) eiusque sequacium. De controversia cf. e. g. ABRAHAM BEN ESRA *Liber rationum* (fol. 34<sup>r</sup> ed. *laud.*); MADMONIDES *Dux nostrorum II 10* (fol. 44<sup>r</sup> *Iustinianus*; II 9, p. 203 *Buxtorff*); ALBERTUS MAGNUS *De caelo II 3, 11* (*IV 157* *Borghesi*); PROSDOCIMUS DE BELDOMANDO *Comment. super tract. sphaerico cap. 1* (fol. 9<sup>r</sup> ed. *Vant.* 1531). 12) cf. CHALCIDIVS *Comment. in Tim.* 130 (p. 193, 22 *Wfr.*) 16) inhabitatores in aliis stellis: cf. PLATO *Tim.* 42 d; CHALCIDIVS *Comment. in Tim.* 200 (p. 241 *Wfr.*)

12 sq.) cf. IORDANUS BRUNUS *De l'infinito, universo e mondi, dial. III* (I 362 *Gent.* 2) 16) cf. BRUNUS *De immenso et immum. IV 7 v. 26 sq.* (I 2 p. 33 *Fiorent.*) 18 sq.) cf. BRUNUS *De l'infinito, universo e mondi, argum. dial. III* (I 277); *dial. III* (I 343).

quam ad se invicem habitudinem gestent, sicut particulares articuli digitorum manus per medium manus proportionem habent ad pedem et particulares articuli pedis per medium pedis ad manum, ut omnia ad animal integrum proportionata sint.

Unde, cum tota nobis regio illa ignota sit, remanent inhabitatores illi ignoti penitus, sicut in hac terra accidit, quod animalia unius speciei quasi unam regionem specificam facientia se uniant et mutuo propter communem regionem specificam participant ea, quae eorum regionis sunt, de aliis nihil aut se impediens aut veraciter apprehendentes. Non enim animal unius speciei conceptum alterius, quem per signa exprimit vocalia, apprehendere potest nisi in paucissimis signis extrinsecus, et tunc per longum usum et solum opinative. Minus autem de habitatoribus alterius regionis improportionabiliter scire poterimus, suspicantes in regione solis magis esse solares, claros et illuminatos intellectuales habitatores, spirituales etiam quam in luna, ubi magis lunatici, et in terra magis materiales et grossi; ut illi intellectuales naturae solares sint multum in actu et parum in potentia, terrenae vero magis in potentia et parum in actu, lunares in medio fluctuantes.

Hoc quidem opinamur ex influentia ignis solis et aquatica simul et aërea lunae et gravedine materiali terrae, consimiliter de aliis stellarum regionibus suspicantes nullam inhabitatoribus carere, quasi tot sint partes particulares mundiales unius universi, quot sunt stellae, quarum non est numerus; ut unus mundus universalis sit contractus trinitate progressionem suam quaternaria descendens in tot particularibus, quod eorum nullus est numerus nisi apud eum, qui omnia in numero creavit.

Etiam corruptio rerum in terra, quam experimur, non est efficax argumentum ignobilitatis. Nobis enim constare non poterit, postquam est unus mundus universalis et proportionem influentiales

7) mutuo: quasi *add. I* 15) regionis: rationis *a* 15) improportionabiliter *Tr*  
 14) suspicantes *a* 14/15) et intellectuales *M* 16) materiales: rurales *Pr* 16) illi:  
 ibi *S* 18) terreni *p* 23) mundiales: materiales *Pr* 26) quod: quot *CS a*  
 30) unus *om. σ*

24 sq.) cf. *De coniecturis I* 5-10, fol. 42<sup>v</sup>-43<sup>v</sup>. 26) cf. *Sap. 11, 21*.

29—p. 109, 7) *Ad hunc loc. FABER STAPULENSIS in marg. editionis p: Scopuli.*

omnium particularium stellarum ad invicem, quod aliquid sit corruptibile penitus, sed bene secundum alium et alium essendi modum, quando ipsae influentiae iam quasi contractae in uno individuo resolvuntur, ut modus essendi sic vel sic pereat, ut non sit mortis locus, ut ait Virgilius. Mors enim nihil esse videtur nisi ut compositum ad componentia resolvatur; et an talis resolutio solum sit in terrenis incolis, quis scire poterit?

Dixerunt quidam tot esse rerum species in terra, quot sunt stellae. Si igitur terra omnium stellarum influentiam ita ad singulares species contrahit, quare similiter non fit in regionibus aliarum stellarum influentias aliarum recipientium? Et quis scire poterit, an omnes influentiae, contractae prius in compositione, in dissolutione redeant, ut animal nunc existens individuum alicuius speciei in regione terrae contractum ex omni stellarum influentia resolvatur, ita ut ad principia redeat, forma tantum ad propriam stellam redeunte, a qua illa species actualiter esse in terra matre recepit? Vel an forma tantum redeat ad exemplar sive animam mundi — ut dicunt Platonicis — et materia ad possibilitatem, remanente spiritu unionis in motu stellarum, qui spiritus dum cessat unire, se retrahens ob organorum indispositionem vel alias, ut ex diversitate motus separationem inducat, tunc quasi ad astra rediens, forma supra astrorum influentiam ascendente et materia infra descendente? Aut an formae cuiuslibet regionis in altiori quidem forma, puta intellectuali, quiescant, et per illam illum finem attingant, qui est finis mundi? Et quomodo hic finis attingitur per inferiores formas in Deo per illam, et quomodo illa ad circumferentiam, quae Deus est, ascendat corpore descendente versus centrum, ubi etiam Deus est, ut omnium motus sit ad Deum; in quo aliquando, sicut centrum et circumferentia sunt unum in Deo, corpus

2) et alium *om. O σ* 5) ait: enim *add. T* 5/6) ad componentia: a componenti *O*  
 8) Dixerunt: enim *add. Pr* 13) alicuius: unius *Tr* 14) ita ut: ita *Ca: an p* 16) recipit *CS U Pr σ* 17/18) et materia ad possibilitatem: ad materiam ad possib. *a: an ad materiae possibilitatem p* 19) ob: ab *Tr S O Pr V a; ob ex ab corr. C<sup>2</sup>* 19/20) indispositione *S O a*  
 20) alias: animalis *Pr* 22) infra: illa *C σ; prima Tr: om. I* 23) quidem: quadam *C O σ*

4) cf. VIRGILIUS *Georgica IV* 226; *quum loc. laudat MACROBIUS Comment. in Somnium Scip. II* 12, 13 (p. 626 *Eys: 2*) 4—6) cf. GUILIELMUS DE CONCHIS *Dragmaticon lib. V* (p. 168 *Gratarolus, Argent. 1167*). 17 sq.) cf. PLATO *Tim. 41 d*; BERNARDUS SILVESTRIS *De mundi universitate II* 8 (p. 32 *Barach-Wrobel*).

1 sq.) cf. IORDANUS BRUNUS *De la causa, principio e uno, dial. III* (I 220 *Gent. 2*)

etiam quamvis visum sit quasi ad centrum descendere et anima ad circumferentiam, iterum in Deo unientur, cessante non omni motu, sed eo, qui ad generationem est; tamquam partes illae mundi essentiales necessario redeant tunc successiva generatione cessante, sine quibus mundus esse non possit, redeunte etiam spiritu unionis et connectente possibilitatem ad suam formam.

Haec quidem nemo hominum ex se, nisi singularius a Deo habuerit, scire poterit. Licet non dubitet quisquam Deum optimum ad se omnia creasse et non velle quidquam perire eorum, quae fecit, sciatque eum remuneratorem largissimum omnium ipsum colentium, modum tamen divinae operationis praesentis et futurae remunerationis Deus ipse solum scit, qui est sua operatio. Dicam tamen inferius iuxta inspiratam divinitus veritatem pauca circa hoc, de quibus nunc sufficit in ignorantia taliter tetigisse.

### Capitulum XIII.

#### De admirabili arte divina in mundi et elementorum creatione.

Quoniam sapientum concors sententia est per ista visibilia et magnitudinem, pulchritudinem atque ordinem rerum nos duci in stuporem artis et excellentiae divinae, et nonnulla mirabilis scientiae Dei artificia tetigimus, quam breviter in universi creatione pauca subiungamus admirative de elementorum situ et ordine.

Est autem Deus arithmetica, geometria atque musica simul et astronomia usus in mundi creatione, quibus artibus etiam et nos utimur, dum proportionibus rerum et elementorum atque motuum investigamus. Per arithmetica enim ipsa coadunavit; per geometriam figuravit, ut ex hoc consequerentur firmitatem et stabilitatem atque mobilitatem secundum conditiones suas; per musicam proportionavit

5) etiam: in *M*: enim  $\sigma$  8) dubitat  $\sigma$  12) solus *IO* 12) qui: quid *b* 12) dicamus *I* 15) Cap. XIII *NF*: Cap. XIII *esteri*  $\sigma$  18) Quoniam: Omnium *O* 20) admirabilis *C*  $\sigma$  21) quam: per quam *p* 23) arithmetica *p*: arismetica  $\Sigma a$ , ut semper (*more scrib. med. aevi*) 24) et *om. Pr*

12) cf. *infra* III 9 p. 146 sq.

taliter, ut non plus terrae sit in terra quam aquae in aqua et aëris in aëre et ignis in igne, ut nullum elementorum in aliud sit penitus resolvable. Ex quo evenit mundi machinam perire non posse. Et licet pars unius in aliud resolvi possit, numquam tamen totus aër, qui est permixtus aquae, in aquam converti potest propter aërem circumstantem hoc impediens, ut elementorum semper sit permixtio. Unde egit Deus, ut partes elementorum resolverentur mutuo. Et quando hoc fit cum mora, aliquid generatur ex concordia elementorum ad ipsum generabile durans, quamdiu durat concordia elementorum, qua rupta rumpitur et dissolvitur generatum.

Admirabili itaque ordine elementa constituta sunt per Deum, qui omnia in numero, pondere et mensura creavit. Numerus pertinet ad arithmetica, pondus ad musica, mensura ad geometria. Gravitatis enim levitate constringente sustinetur — terra enim gravis quasi in medio suspensa ab igne —, levitas autem gravitati innititur, ut ignis terrae. Et dum haec aeterna sapientia ordinaret, proportione inexpressibili usa est, ut, quantum quodlibet elementum aliud praecedere deberet, praesciret ponderans ita elementa, ut, quanto aqua terra levior, tanto aër aqua et ignis aëre, ut simul pondus cum magnitudine concurreret et continens maiorem locum occuparet contento. Et tali habitudine ipsa ad invicem connexuit, ut unum in alio necessario sit; ubi terra est quasi animal quoddam — ut ait Plato — habens lapides loco ossium, rivos loco venarum, arbores loco pilorum, et sunt animalia, quae intra illos terrae capillos nutriuntur ut vermiculi inter pilos animalium.

5) poterit *I* 8) hoc *om. b* 8) aliquid: aliud *NV*: *om. S* 20) et: non *add. Pr*  
21) unum: minimum *O* 24) inter *NPr*

12) cf. *Sap.* 11, 21. 22 sq.) terra est quasi animal quoddam...: *Similitudo non est PLATONIS; vestis hanc Persarum doctrina* (cf. *Bundabihā magnum* cap. 28, p. 189 *Anklesaria*, = *Goetze, Zeitschr. f. Indologie u. Iranistik* II 61 [1923]) reperitur apud [HIPPOCRATEM] *De septimanis* cap. 6 (p. 10 *Roscher, Paderb.* 1913), qui liber duobus veteribus Latinis medio aevo notus erat; v. HONORIUS AUGUSTODUNENSIS *Elucidarium* I 11 (PL 172 col. 1116 c); HILDEGARDIS BINGENSIS *Liber divinatorum operum simpliciter hominis* I visio 4 cap. 82 et 47 (PL 197 col. 862 d et 839 c). — PHILO *Leges alleg.* II 22 (*Cohn-Wandl* I 91) et *Liber Henoch* vers. Slav. 30, 8 (II 248 *Charles, The apocrypha and pseudepigr. of the Old Test.*) *Cusano ignota erant.*

22 sq.) *Eadem similitudo apud LEONARDUM DE VINCI Manuscr. A de la Bibl. de l'Institut* (fol. 15<sup>o</sup> *Ravaisson-Mollien*); *Del moto e misura dell'acqua* I 39 (p. 44 sq. *Corrusi-Favaro*); an e *Cusano, incertum* (cf. enim RISTORUS ARJETINUS *La composizione del mondo* I 20, p. 22 *Narducci*); — apud GREGORIUM REISCH *Margarita philosophica* nova VII tr. 1 c. 43 (fol. 5 II<sup>o</sup> ed. *Argent.* 1515), fortasse e *Cusano.*

Et ad ignem terra se habet quasi ut mundus ad Deum. Multas enim Dei similitudines ignis habet in ordine ad terram, cuius potentiae non est finis, omnia in terra operans, penetrans, illustrans et distinguens atque formans per medium aëris et aquae, ut nihil quasi in omnibus sit, quae ex terra gignuntur, nisi alia et alia ignis operatio, ut rerum formae diversae ex diversitate resplendentiae ignis sint. Est tamen ipse ignis rebus immersus, sine quibus nec est nec res sunt terranae. Deus autem non est nisi absolutus; unde quasi ignis consumens absolutus et claritas absoluta Deus, qui lux, in quo non sunt tenebrae, ab antiquis vocatur; cuius quasi igneitate atque claritatem omnia, quae sunt, nituntur iuxta posse participare, ut in omnibus astris conspicimus, ubi reperitur ipsa talis claritas materialiter contracta; quae quidem discretiva et penetrativa claritas quasi immaterialiter est contracta in vita viventium vita intellectiva.

Quis non admiraretur hunc opificem, qui etiam tali siquidem arte in sphaeris et stellis ac regionibus astrorum usus est, ut sine omni praecisione cum omnium diversitate sit omnium concordantia, in uno mundo magnitudines stellarum, situm et motum praeponderans et stellarum distantias taliter ordinans, ut, nisi quaelibet regio ita esset sicut est, nec ipsa esse nec in tali situ et ordine esse nec ipsum universum esse posset; dans omnibus stellis differentem claritatem, fluentiam, figuram et colorem atque calorem, qui claritatem concomitatur influentialiter, et ita proportionaliter partium ad invicem proportionem constituens, ut in qualibet sit motus partium ad totum,

3) operans: et *add. SI* 5) ex: et *b* 6) diversae *om. b* 6) sint: fuit *M*: sunt *σ*  
7) rebus: ipsis *add. σ* 9) et: quasi *add. Pr* 9) qui *om. NTrMSIPr* 9) lux: dicitur *add. Pr*  
12) astris: quae *add. E* 11/12) iuxta posse... claritas materialiter: iuxta materialiter *m* (*ambitum unius versus in a omittens*) 15) admiratur *Pr*: miretur *O*: admittatur *σ* 16) et: in *add. SI* 16) sine: sint *T*: *om. S* 20) ipsam *b* 23) proportionabiliter *OVσ*

8 sq.) In sermone ad hunc inedito "Nomen eius Ihesus", quem habuit 1459 in die circumcisionis, Confluencies, CUSANUS script., cod. cusan. 220 fol. 103<sup>r</sup> sq.: «(Deus) dicitur... ignis consumens, lux in quo non sunt tenebrae; et pro nostra instructione de metaphora ignis secundum dyonisiu[m] 16. ierarchie videamus... Dyonisius angelice ierarchie cap. 16<sup>o</sup> inter omnia corporalia ignem dicit dei ymaginem propinquius representare... respiciens ad *De coal. hier. XV 2* (*PG 3 col. 328 d sq.*) 8) *Deut. 4, 24; Hebr. 12, 29.* 9 sq.) *cf. I Ioan. 1, 5; ad vocem quo vide Apologium d. ign. p. 3, 2; infra III 9 p. 146, 11.*

9—14) *apud WERNCK concl. IX cor. 1 p. 37, 14—21.*

deorsum ad medium in gravibus et sursum a medio in levibus, et circa medium, uti stellarum motum orbicularem percipimus.

In hiis tam admirandis rebus, tam variis et diversis, per doctam ignorantiam experimur iuxta praemissa nos omnium operum Dei nullam scire posse rationem, sed tantum admirari, quoniam magnus Dominus, cuius magnitudinis non est finis. Qui cum sit maximitas absoluta, ut est omnium operum suorum auctor et cognitor, ita et finis, ut in ipso sint omnia et extra ipsum nihil; qui est principium, medium et finis omnium, centrum et circumferentia universorum, ut in omnibus ipse tantum quaeratur, quoniam sine eo omnia nihil sunt. Quo solum habito omnia habentur, quia ipse omnia; quo scito omnia sciuntur, quia veritas omnium. Qui etiam vult, ut in admirationem ex mundi machina tam mirabili ducamur; quam tamen nobis occultat eo plus, quo plus admiramur, quoniam ipse tantum est, qui vult omni corde et diligentia quaeri. Et cum inhabitet ipsam lucem inaccessibilem, quae per omnia quaeritur, solus potest pulsantibus aperire et petentibus dare. Et nullam habent potestatem ex omnibus creatis se pulsanti aperire et se ostendere, quid sint, cum sine eo nihil sint, qui est in omnibus. Sed omnia quidem in docta ignorantia ab eis sciscitanti, quid sint aut quomodo aut ad quid, respondent:

«Ex nobis nihil neque ex nobis tibi aliud quam nihil respondere possumus, cum etiam scientiam nostri non nos habeamus, sed ille solus, per cuius intelligere id sumus, quod ipse in nobis vult, imperat et scit. Muta quidem sumus omnia; ipse est, qui in omnibus loquitur. Qui fecit nos, solus scit, quid sumus, quomodo et ad quid. Si quid scire de nobis optas, hoc quidem in ratione et causa nostra, non in nobis quaere. Ibi reperies omnia, dum unum quaeris. Et neque te ipsum nisi in eo reperire potes.»

1) ad medium *OM<sup>2</sup>* (*corr. ex a medio*), *p*: a medio *ceteri a* 5) tantum: tamen *Pr*, ut *scipius*  
7) ut: uti *Cσ*: sicut *I* 8) ipsum: ipsam *b* 8) qui: quoniam *Pr* 11) solo *O*  
11) scito *om. σ* 13) mirabilia *a* 17) nullam: nullum *TUV*: nulla *p* 17) habet in *mag. T<sup>2</sup>* 18) pulsantibus *I* 19) omnia *om. σ* 22) Extra nos nihil *Pr* 22) aliud quam *p*: aliquid quam *Σa* (aut quidquam *S*) 23) nos *om. NIPr*

1) *cf. supra II 12 p. 104, 11.* 4 sq.) *cf. Ecclesiastes 8, 17.* 5 sq.) *cf. Psal. 144, 3.* 8) *cf. Rom. 11, 36.* 8 sq.) *cf. Apoc. 1, 8; 22, 13.* 15 sq.) *cf. I Tim. 6, 16.* 16 sq.) *cf. Matth. 7, 7; Luc. 11, 9.*

«Fac itaque», ait nostra docta ignorantia, «ut te in eo reperias; et cum omnia in ipso sunt ipse, nihil tibi deesse poterit. Hoc autem non est nostrum, ut inaccessibilem accedamus, sed eius qui nobis dedit faciem ad ipsum conversam cum summo desiderio quaerendi; quod dum fecerimus, piissimus est et nos non deseret, sed seipso nobis ostenso, cum apparuerit gloria eius, aeternaliter satiabit.

Qui sit in saecula benedictus.»

---

1) docta om. Cσ 2) sunt: sint p 4) cum: cum CNTrMOPrσ 4/5) quaerendo Pr 5) dum: cum O 5) et om. p 7) benedictus: Amen add. MIOPrp.  
 Finit liber secundus in calce add. CNTr a, Sequitur tertius insuper CTTr: Finit secundus TV:  
 Finit secundus liber E: Explicit liber secundus M: Finit (Expl. Pr) lib. sec. de docta ignorantia OPr: LIBRI SECUNDI DOCTAE IGNORANTIAE FINIS p

---

5) cf. Hebr. 13,5.

6) cf. Psal. 16,15.

7) cf. Rom. 1,25.

## Doctae ignorantiae

### Liber tertius